



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 39. Romæ Gibellinorum factio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

piscopus Tudertinus, qui titulum S. Præ-  
 xedis optavit. Hi omnes octo fuere  
 Presbyteri. Tres autem illi Cardinales  
 Diaconi vocabantur: Otho Columna, qui  
 ad Pontificatum euectus Martinus V. ap-  
 pellatus est. Petrus Hannibaldus pa-  
 tria Romanus tit. S. Angeli, & Joannes  
 Ægidius Normannus Parisiensis Eccle-  
 siæ Chori Præfectus, & tunc Præposi-  
 tus Leodiensis, ad titulum SS. Cosmæ  
 & Damiani vocatus. Ex omnibus hisce  
 Pontifex quinque patria Romanos di-  
 gnitate Cardinalitia consulto exornavit,  
 ut sibi Romanum populum hoc beneficio  
 devinciret. Sed sua illum spes fefellit.

Sæcul. XV.

A. C. 1405.

## §. XXXIX.

*Romæ Gibellinorum factio.*

Præter Senatorem a Pontifice ad re-  
 gendam Romanam urbem electum  
 adhuc septem alios Officiales seu Judices  
 designatos fuisse, jam supra memoravi-  
 mus. Hi quidem glorioso *Prudentum*  
 nomine insignes erant: ast gestorum suo-  
 rum splendore hunc titulum condecora-  
 re parum curabant. Clandestinis enim  
 Ladislai, quem Romanæ urbis potiundæ  
 cupiditas vehementer stimulabat, sollici-  
 tationibus accensi, varia contra pacti fi-  
 dem consilia adversus Pontificem moliti  
 sunt. Præterea Joannes de Columna  
 D 2 Gibelli-

Sæcul. XV. A. C. 1405. Gibellinorum Princeps copias Romanæ Urbi circumfusas habebat; Papa e contra arcem sancti Angeli valido præsidio munitam tenebat; hinc in singulos ferme dies non sine multo sanguine, ac cæde velitares conferebantur pugnæ, undique locis ingenti strage repletis. Quo comperto Pontifex pacifici, ac mitis genii Vir incredibili afficiebatur dolore. Ergo summa mansuetudine furentium corda emollire, eisque in omnibus complacere tentat, sed incassum; *Prudentes* enim, ut vocabant, nunquam a suis, etsi æquitati tantopere contrariis, atque iniquis postulationibus quicquam remittere cogitabant, proterviæ suæ patrocini in Ladislai potentia collocato, qui licet Innocentii partes tueri simularet, cum illis tamen secreta communicabat consilia, eosque auro corrumpere non dubitabat. Pontificis Nepos, nomine Ludovicus de Melioratis, Juvenis temerarius, atque ad quævis audenda projectus plurimum dolebat, Pontificem Patruum suum ab hisce Judicibus *prudentibus* adeo inique haberi.

## §. XL.

*Undecim Romani a Nepote Pontificis trucidati.*

*Theod. de  
Niem. l. 2.  
c. 36.*

Cum quondam isti Judices cum aliis nonnullis Civibus Romanis a Pontificis